

lippus Macedo militi in hospitem præclarè meritum ingrato cauterium inuri curavit in fronte his literis: *INGRATUS HOSPE S. Iust. Lips. cent. misc. Epist. 48. Barth. Keckerm. in Syst. polit. lib. 1. cap. 20 p. 211. Anton. Panorm. in Procem. lib. 3. de dict. & fact. Alphonsi Regis*, ingratis pœnam à veteribus constitutam esse, ut hi murenis vorandi, discerpendiq; vivi objicerentur. Quidam etiam atrocissimo genere supplicii hoc crimen persequuntur, necantes ingratum fude, palòve per guttur adacto; sed laudatissimus Imp. Carolus V. prudentissimè non punit ingratos. Cùm enim vix dici possit, quanti sit beneficium, & rei incertæ incerta æstimatio sit, visum est satis puniri ingratum odio hominum, & si remittatur ad Deum ultorem, & fora nulla ingratis puniendis sufficerent propter multitudinem ingratorum, ut ait *Seneca*, vide *Carol. Paschas. in cens. animi ingrati. c. 30. pag. 211. Actum meum Doctorem à Domino Iohanne Harprechto, Icto, editum, p. 161. Cunr. Rittersh. in Iur. Iustin. p. 5. c. 13. num. 13.* Cùm ebrietas omnium peccatorum radix, & nutrix sit, & quæ, teste *Plinio*, nullâ in parte mundi cesset, ut trado *disc. Acad. 1. concl. 7.* mirum alicui videri posset, cur Imp. hoc maximum crimen ebrietatis silentio præterierit? cogitur quædam vitia ferre legislator. Sic ebrietatem noluit Germanis prohibere Carolus V. *Chytr. in Chron. fol. (mihi) 510. Christ. Besold. lib. 2. polit. 2. num. 33.* Maritus in mulierem crudelissimè sæviens pœnâ carceris, vel relegationis coërceri poterit. *Ego Decad. Consil. conf. 1. q. 6. 80.* Sed rectè tamen *Herman. Kirchn. de Republ. disp. 2. auct. ar. 7. a.* refert, Neageorgum reprehendentem eos Magistratus, & fatuos appellantem, qui maritos in turres & carceres conjiciunt, si pulsaverint vel castigarint uxores, pro delicti modo modicè. *Ego d. conf. 1. q. 1. per tot.* Si liberi in parentes blasphemii sint, eos vel verberant, vel aliis modis indignè tractant, quâ pœnâ plectendi? vide me *discur. Acad. 10. Append. 2. Val. Forster. de Iurisd. Rom. l. 2. c. 6. p. 154. num. 5. 6.* Ex jure communi mitius puniuntur liberi immorigeri, si parentibus suis violentas manus intulerint, vel gravem & inhonestam injuriam ingesserint, exhæredantur, *Nov. 115. c. 3. §. 1.* aut pœnâ arbitraria à Judice afficiuntur, *Eichrod. de parricid. concl. 39. 40.* Vide *Iohan. Gædd. vol. 3. Consil. Marpurg. 28. num. 222. cum multis seqq.* De offendente aliquem in Palatiis Principum? remissivè trado *disc. Acad. 7. app. 21.* Homo, qui convitiis Ecclesiæ Pastorem publicè prosciderat, & Ministerium sacre Dominicæ impedierat, quâ pœnâ affici debeat? videre est *in mea Pentade conf. 2. n. 2.*

ARTICULUS CVI.

Pœna blasphemia.

1. Blasphemia est majestatis divinæ læsio, quod crimen est gravissimum, & omnium maximum. *Steph. hic, num. 1.* Ideoq; constituit Imp. Carolus V. si quis Deo attribuit id, quod divinæ naturæ non convenit, aut de eo negat, quod in ipso est, aut omnipotentia divinæ detrahit, virginemq; Deiparam insigni contumelia afficit, is à Judice, aut Prætorè ex officio vinculis constringi, propterea
sive